

gnitione verã destituta instar αὐτομάτων ab objectorum sensibilibus variis impressionibus moveri, ex iis hypothefibus sunt, quæ Cartesio præ cæteris propriæ videri possint; & tamen ad illum συγκροσµὸν νεφῶν jam olim *Democritus*, teste *Stobæo* in *Ecl. Phys.* & post ipsum Stoici ap. *Plutarch.* III. de *Plac.* 3. ac nominatim *Seneca* II. *Natur. Quæst.* 30. confugerunt, *Seleucus* item ap. *Plutarchum* disertè ad nubium collapsum provocat: primum autem fuisse *Gometium Pereiram* qui bestias omniscognitione seu perceptione carere affirmavit, eumq; in nupero hoc seculo καὶ ποῖα sequutos esse *Cartesium* & *Digbejum*, testatur *Willisius* de *An. brutorum* cap. I. p. m. 6. & *Morhofius* in *Dissertat. de Paradoxis sensuum*, *Gometium* istum Philosophum ac medicum Hispanum, ait ea de re operosum ac triginta annorum librum edidisse, *Methynæ* A. 1554. excusum & *Antoniana Margarita* ab utriusq; parentis nomine inscriptū. Quæ & similia plura cum ignorasse prorsus Cartesium, ægrè adducamur ut credamus, in ea jam pridem opinione sumus, non paucas eum suarum hypothesium ab antiquioribus mutuatum esse, ita tamen, ut eas ingeniosius explicando, comendo & interpolando, corrigendo quoq; sicubi opus esset, addendo vel demendo quippiam, experimentis novis eas confirmando, quasi suas faceret; Eclecticorum adeo morem prorsus secutus, nisi quòd αὐτοδιδαντⓄ videri volens, eorum nomina quibus occasionem saltem inventorum debebat, pertinaciùs subticuit. Quæ omnia quidem de celebratissimo hoc Sectariorum pari non alia fini allata sunt, quàm ut ipsorum Ducum magis quàm assèclarum exemplum secuti, à pluribus nos plenius veritates philosophicas quàm ab uno solo doceri posse credamus. Neq; verò ab hoc proposito quemquam istud dimoveat, quòd cum optima quæq; ex optimis & ingeniosissimis superiorum seculorum Philosophis jam collegerint, vel *Aristoteles*, vel *Cartesius*, nunc non opus sit nisi alterutrum sequi,

qui,